

In pœnis 49, in 6, ibi : In pœnis benignior est interpretatio faciendâ; » dicitur autem notanter in dubio; quia si ipsa verba legis pœnalis, aut alterius odiosæ, ejusque mens adeo clara sint, ut, salva ratione recti sermonis, non possint aliam interpretationem habere, non obstante quod lex appareat nimis dura et odiosa, adhuc erit observanda, leg. *Prospexit*, ff. *Qui, et a quibus manumissi*, ibi : « Quod quidem perquam durum est; sed ita lex scripta est. »

(38. Undecima regula : « Leges favorabiles ampliori interpretatione sunt intelligendæ: seu in materia favorabili verba legis accipi debent secundum amplam suam significationem. » *Communis* per textum in cit. cap. *Odia 15, De regul. juris*, in 6, ibi : *Favores convenit ampliari*. Dummodo tamen nihil aliud exprimat, vel appareat ex verbis legis, seu alterius dispositionis, nec exinde illusio legis sequi possit; prout notatur in c. *Si sententia 16*, et cap. *Si civitas 17, De sent. excomm.*, in 6.

(39. Duodecima regula : « In beneficiis plenissima est interpretatio faciendâ; » *Communis*, textu expresso in c. *Cum Dilecti 6, De donationibus*, ibi : « In contractibus plena; in testamentis plenior; in beneficiis plenissima est interpretatio faciendâ, » et cap. *Olim 16, De verbor. significat.*, ibi : « Cum beneficia principum sint interpretanda largissime. » (40. Excipienda tamen sunt rescripta ad beneficia ecclesiastica obtinenda, quæ sunt strictæ ecclesiastica obtinenda, quæ sunt strictæ ecclesiastica obtinenda, textu expresso in cap. *Quamvis 4, De præbendis*, in 6 ibi : « Quamvis plenissima sit alia in beneficiis interpretatio faciendâ; litteræ tamen super obtinendis beneficiis debent, cum sint ambitiosæ, restringi. »

(41. Epicheia est benigna legum interpretatio secundum æquum et bonum, declarans casum aliquem particularem, ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales, sub lege universaliter lata non esse comprehensum. Est in re communis; arg. l. *Placuit*, cod. *De judiciis*, ibi : « Placuit in omnibus rebus, præcipuam esse justitiæ, æquitatisque scriptæ, quam stricti juris rationem : » et l. *In omnibus*, ff. *De reg. juris*, ibi : « In omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas spectanda est, » cum aliis jur. adductis sup. n. 32 et 33.

(42. In hoc autem differt epicheia ab interpretatione legis, quod per interpretationem interpretantur verba legis, quando sunt obscura, et ambiguum sensum reddunt; per epicheiam vero interpretatur mens legislatoris, ubi constat de universali verborum sensu, dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nempe is talem casum particularem, ob certas circumstantias, voluerit, vel potuerit comprehendere sub generali locutione legis; unde tunc speciatim verificatur textus cit. cap. *Intelligentia 5, De verbor. significat.*, ibi : « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus : » et c. *In his 13*, eod. *De verbor. signif.*, ubi Pontifex factæ a se interpreta-

tionis allegat hanc rationem : « Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem; cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire, interpretamur, etc. »

(43. Hinc quandoque esse locum epicheiæ in casu aliquo particulari ob certas circumstantias concurrentes tenet communis doctorum; arg., l. iv, ff. *De legibus*, ubi dicitur, quod « ex iis, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur : » Neque sic præjudicium inferitur potestati legislativæ, cum præsumatur legislator in simili casu eadem fuisse dicturus, ut colligitur ex l. *Nulla juris*, ff. *De legibus*, ubi habetur : « Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem. »

(44. Lex cessare potest per dispensationem factam ab habente legitimam dispensandi potestatem. *Communis*. (45. Quo autem ad ea, quæ speciatim concernunt dispensationem, vid. verb. *Dispensatio* per tot.

(46. Lex cessare potest per privilegium concessum ab habente legitimam potestatem ipsum concedendi. *Communis*. Privilegium enim est, quod princeps contra communes regulas juris, seu contra communes leges cuiuspiam concedit, seu rescribit, juxta illud *Esther xxv* : *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*. (47. Dicitur enim privilegium, quasi lex privata; nequæ esset privata, nisi aliquod speciale indulgeret; c. *Privilegia 3*, dist. 3, et c. *Abbate 25, De verbor. significat.*, § *Contra*.

(48. Quia igitur privilegium est contra jus commune, et omnis recessus a jure est odiosus, cap. *Is qui 1, De filiis presbyterorum*, § *Ille vero*, in 6, ibi : « Quam exorbitantem a jure oportet veluti odiosam restringi. » Hinc privilegium est stricte interpretandum, ac restringendum, dummodo ex hoc non reddatur inutile. *Communis* arg. cit. cap. *Is qui*, et cap. *Odia 15, De regulis juris* in 6, ibi : « *Odia restringi, et favores convenit ampliari, » cum simil.*

(49. Lex cessare potest per consuetudinem contrariam legitime introductam. *Communis*. (50. Circa autem ea, quæ speciatim quoad hoc concernunt consuetudinem. Vid. verb. *Consuetudo* per tot.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. Pertinet et ad jurisconsultos, judicesque leges interpretari. Tripliciter autem interpretari possunt jurisconsulti et judices leges. (52. Primo ad casus similes producendo legis dispositionem, considerata ratione ejus in aliis ad eandem utilitatem tendentibus militante, idque etiamsi taxativis verbis lex uteretur, quippe quia taxatio tantum ad casus dispares excludendos pertinet, non item ad eos, in quibus militat similis, aut eadem, aut major ratio. (53. Secundo restringendo generalia legum effata ad casus illos, in quibus solis manifesta, et adæquata ratio legis locum habet. (54. Ter-

tio denique explanando verba legis obscura, vel ambigua, et dubium ipsius legis sensum eruendo.

(55. Id autem ut recte fiat, servanda sunt quædam universalis præcepta. In primis, et ante omnia de mente legis non est judicandum, nisi tota lege perspecta, cum ex antecedentibus et subsequenibus ut plurimum evidens evadat sententia legis, leg. 24, ff. *De legib.*

(56. Deinde semper adhiberi debet ea interpretatio, quæ caret vitio, et aptior est rei gerendæ, et convenientior menti legislatoris, l. xix, eod. tit. l. lxvii, et l. xcvi, ff. *De reg. jur.*, non calumniosa. (57. l. penult. ff. *Ad exhib.* (58. non talis, quæ circumveniat mentem legis, dum fieret, quod lex fieri noluit, fieri tamen expresse non veluit, l. xxix et xxx, ff. *De leg. l. v*, eod. eod. (59. Quæve redderet legem inutilem, nullis accommodata casibus, etsi omni effectu destitutam, arg., l. i, § ult. ff. *Ad municipal.* aut, quæ in favorem alicujus inventa, torqueret severius in ejusdem dispendium ac læsionem; l. xxv, ff. *De leg.*, et l. vi, eod. eod.

(60. Sed nec petenda est interpretatio ex iis, quæ constituta sunt jure singulari, aut necessitate quadam in certis solummodo casibus; l. xiv, ff. *De leg.*, et l. xvi, ff. *De reg. jur.*, aut errore sunt introducta leg. xxxix, ff. *De leg.*

(61. Recedendum nec aliter est a propria verborum significatione, quam cum manifestum est, id legislatorem voluisse, argum., l. lxix, ff. *De leg.*, 3, magisque in dubio

#### LEX COMMISSORIA.

Vid. verb. *EMPTIO art. 4, a n. 40 ad 45, et verb. HYPOTHECA, n. 34 et 35.*

#### LIBELLUS FAMOSUS.

##### SUMMARIUM.

1. Libellus famosus quid sit? — 2. Libellus famosus fit scriptura, vel pictura, et quid veniat appellatione scripturæ, et picture. — 3. Ad constituendum libellum famosum quinque requisita copulative debent concurrere. — 4. Primo requiritur, quod occultetur nomen libellantis. — 5. Secundo requiritur, quod in illo exprimat nomen libellati, seu injuriati. — 6. Tertio requiritur, quod libellus famosus publicetur. — 7. Quarto requiritur, quod interveniat dolus. — 8. Quinto requiritur, quod libellus contineat non solum contumeliam, sed et simul delictum aliquod considerabile. — 9. Dicta requisita debent cumulative concurrere ad hoc, ut quis dicatur reus libelli famosi. — 10. Unde qui joco facit libellum famosum, non incidit in crimen, et pœnam libelli famosi. — 11. Et jocus præsumitur, quando deficit causa. — 12. Et quando faciens est juvenis letus, et facetus, et bonæ famæ. — 13. Item non incidit in pœnam libelli famosi, qui mittit epistolam alicui in injuriam, et infamiam alterius, cum expressione et mandato, quod illam teneat secreto. — 14. Vel etiam mittit ipsi injuriato, qui præsumitur eam secreto retenturus. — 15. Item non incidit in crimen, et pœnam libelli famosi, qui provocatus et accessit libello famoso, libellum in auctorem primi conficit et crimina in ipsum retorquet. — 16. Multi sancti Patres scriptis accessit cum mordacitate et eum aliis scriptis responderunt. — 17. Libellos fa-

verbis edicti servendum ait Ulpianus in l. i, § 20, ff. *De exercit. action.* Recedere autem voluisse legislatorem a propria significatione verborum, erui valet cum ex antecedentibus et subsequentibus verbis legis, præfatione, epilogo et similibus, tum ex ratione legis ipsi legi subjuncta, tum etiam ex eo quod verba in proprio significato accepta, involverent absurditatem, impossibilitatem, vitium, vel significationem non satis aptam rei gerendæ.

(62. Omittendum haud est etiam, ex argumentis desumptis a contrario sensu, legis sensum erui posse, et interpretationem fieri, ut servarunt ipsi jurisconsulti in l. i, ff. *De offic. ejus, cui mandat. jurisd.*, l. xviii, ff. *De testib.*, l. xx, § 6, ff. *Qui testam. facere poss.*, l. xxvi, ff. *De pact. dotal.*

(63. Quod si hisce, similibusque præceptis observatis, necdum manifesta reddi possit legis sententia, aut evitari absurditas, iniquitasque, quam videbatur involvere dispositio legis, haud poterit iudex, prætextu æquitatis, arrogare sibi licentiam spernendæ legis, tanquam duræ, et iniquæ, ac judicare contra perspicuam legis decisionem, cum iudicis sit secundum legem, nequaquam vero de legis justitia, vel injustitia judicare, et facti quidem quæstio, non item juris auctoritas, in ejus potestate sit: l. i, § 4, ff. *ad senatus consult. Turpilian.*, juncta l. xii, § 1, ff. *Qui et a quibus liberi non fiant*, solumque superest, ut eatur ad legislatorem; l. xi, ff. *De leg. l. ii*, § 18, cod. *de veter. jur. enucleand.* l. i, l. ix, l. penult. et ultim. cod. *De legib.*

mosos facientes, publicantes, consulentes, seu mandantes fieri, seu publicari, committunt crimen gravissimum, et detestabile. — 18. Insuper rei hujus detestabilis criminis subjacent gravissimis pœnis, tum de jure canonico. — 19. Tum de jure civili. — 20. Eadem pœna puniuntur mandantes, cooperantes, et consulentes fieri libellos famosos. — 21. Eadem pœna puniuntur inventientes libellum famosum, et illum non lacerantes, nec comburentes, sed aliis manifestantes. — 22. Eadem pœna puniuntur dictantes, scribentes et exemplantes libellum famosum. — 23. Eadem pœna puniuntur componentes carmina, cantiones et similia in detractionem famæ alicujus. — 24. Item eadem pœna puniuntur eas cantiones, seu carmina cantantes. — 25. Eadem pœna puniuntur facientes libellum famosum contra mortuum. — 26. Eadem et majori pœna puniuntur, qui libellum famosum faciunt, non sub nomine suo, sed sub nomine alterius. — 27. Eadem pœna puniuntur, qui faciunt cadere in terram libellum famosum, ad effectum ut publicetur. — 28. Eadem pœna puniri possunt bibliopola, et mercatores librorum ementes, retinentes et vendentes libellos famosos. — 29. Ex constitutionibus S. Pii V, et Gregorii XIII, appellatione libelli famosi continentur pariter, nedum, ut vulgo dicitur *li avvisi segreti*, sed etiam pasquilli, vulgo *pasquinati*. — 30. Si libellus famosus respiciat statum alicujus religionis in communi, ultra supradictas pœnas, auctor est ipso facto excommu-

nicatus excommunicatione majori papæ reservata. 31. Pœna libelli famosi habet locum, etiam si quis in eo verum dixerit. — 32. Non desunt tamen doctores tenentes contrarium. — 33. Qui detraxerunt aliis

(1. Libellus famosus est chartula quædam in quocunque loco reperta, ad alterius infamiam scripta, vel picta: colligitur ex l. unic. cod. *De libell. famos.*, et cap. *Si quis famosum* 3, qu. 1, et est in re communis cum Moscatell., *De cognition. delict.*, tit. *De injur.* et *Libell. famos.*, n. 8 et 9, Raynald., tom. I, cap. 11, § 1, n. 4; Ursaya, *Institut. crimin.*, lib. II, tit. 9, n. 78. (2. Unde ut vides, libellus famosus fit scriptura, vel pictura. Nomine et appellatione chartulæ veniunt nedum scripturæ, sed etiam carmina, epigrammata, et similes cantiones in destractionem famæ alterius compositæ. Farinac., qu. 105, n. 467 et sequent.; Ursaya *loco cit.*, n. 80, et alii passim. Nomine, et appellatione picturæ veniunt nedum picturæ obscenæ, et turpes in alterius injuriam et infamiam factæ, sed etiam stercorations factæ, seu appositæ in portis, fenestris, seu domo alterius et omnes turpitudines, et multo magis cornua ibidem in alterius injuriam, et infamiam affixa. Clarus in *Praxi* § fin., qu. 68, n. 25; Panimoll., dec. 52, annot. 1, n. 22 et 23; Ursaya *loco cit.*, n. 28 et seq.; Farinac., qu. 105, n. 469 et 471; Bertazin., consil. 237, n. 2, et alii apud ipsos.

(3. Ad constituendum libellum famosum quinque requisita copulative debent concurrere ut recte observat Ursaya *loco cit.*, n. 86; Raynald., lib. I, cap. 11, § 1 a. n. 7. (4. Primo requiritur, quod occultetur nomen libellantis, id est, quod occultetur nomen suum, ut habetur in l. unic. cod. *De famos. libell.*, et tenet Engel in l. *Lex Cornelia*, § *Si quis librum*, ff. *De injur.*, etc.; Clarus qu. 68, n. 25; Ursaya *loco cit.*, n. 86; Raynald., l. c., n. 7, et plures alii apud ipsos.

(5. Secundo requiritur, quod in illo exprimat nomen libellati, seu injuriati: Sarno in *Praxi crimin.*, part. II, formul. 10, vers. et primo, Maresca apud Sarn. *loco cit.*, vers. *Et primum* in fine. Raynald., l. c., n. 10; Ursaya *loco cit.*, n. 87; nisi tamen aliunde constet, quod de eo auctor loqui voluit. Farinac., qu. 105, n. 47; Conciol., *Resol. crim.*, verb. *Læsæ majestatis crimen*, resol. unic., n. 19; Raynald., *loco cit.*, n. 11; Ursaya, l. c., n. 88, et alii.

(6. Tertio requiritur, quod libellus famosus publicetur; est enim de substantia libelli famosi, quod ex eo sequatur diffamatio, quæ sine publicatione non datur. Farinac., *loco cit.*, n. 486; Sanctos., *De pœnis*, part. II, c. 12, qu. 3; Ursaya, *loco cit.*, n. 89; Raynald., *loco cit.*, n. 13, cum pluribus ibi cit.; Conciol., *Resolut. criminal.*, verb. *Libellus famosus*, resol. un., n. 10, et plures alii apud ipsum.

(7. Quarto requiritur, quod interveniat dolus, quia, si aliquis non animo injuriandi, sed vel per simplicitatem, vel per jocum libellum componat, et publicet vel libidinis,

libello famoso continente vel falsum crimen, vel verum occultum ad quid teneantur; remissive. — 34 ad 41. Additiones.

motivo cantiones canat, non erit reus libelli famosi, Conciol., *Resolut. crimin.*, vers. *Læsæ majestatis crimen*, resol. unic., n. 20; Ursaya, *loco cit.*, n. 92 et seq.; Raynald., *loco cit.*, n. 18, cum pluribus ibi citatis per textum in l. *Lex Cornelia*, § *Si quis librum*, ff. *De injur.*, ibi: *Dolove malo fecit, vel curavit*, et l. I. ff. *Ad legem Jul. majestatis*, ibi: *si fuerit dolo malo*, cap. *Si qui inventi fuerunt* 3, caus. 5, qu. 1. ibi: « Sed vim earum dolose manifestaverit. »

(8. Quinto requiritur, quod libellus contineat non solum contumeliam, sed et simul delictum aliquod considerabile; quia si contineret solum contumeliam, non libellus famosus, sed injuria in scriptis dicenda esset. Theodoric., *De delict. privat.*, c. 2, aphorism. 16, n. 32; Ursaya, *loco cit.*, n. 95; Raynald., l. c., n. 19 et seq., et plures alii apud ipsum.

(9. Dicta requisita debent cumulative concurrere ad hoc, ut quis dicatur reus libelli famosi, quia si unum, vel alterum ex his deficiat, deficit nomen et crimen libelli famosi; et remanet crimen et actio injuriarum. Binsfeld., *De injur. et damno dato*, c. 1, quæst. 13, conclus. 3 et 4; Carpov., *Practic. crimin.*, q. 98, n. 50; Maresca penes Anell., *De Sarnoin Prax. crim.*, par. II, vers. *Debet sane*; Raynald., *loco cit.*, n. 23, et alii passim.

Unde qui joco facit libellum famosum, non incidit in crimen, et pœnam libelli famosi; arg. l. *Si non convici*, c. *De injur.* et l. *Item apud Labeonem* § *Meminisse*, ubi Glossa, ff. eod. tit. et sic tenent Surd., dec. 89; Thorvot., dec. 50, n. 6 et 7; Navarr., collect. 2, ad pragm. 1, *De injur.*, n. 4; Carpov., l. c., q. 98, n. 58; Gargareus, *Tract. delibello famoso*, c. 4, n. 10, et c. 7, n. 50; Raynal, l. c., n. 26 et seq., et plures alii apud ipsos. (11. Qui omnes aiunt præsumi joco factum, quoties non appareat de causa propter quam quis moveri potuerit. (12. Et quoties imputatus sit juvenis lætus; et ut dicitur; *allegro e faceto*, seu bonæ famæ.

(13. Item non incidit in pœnam libelli famosi, qui mittit epistolam alicui in injuriam, et infamiam alterius cum expressione et mandato, quod illam teneat secreto. (14. Vel etiam mittit ipsi injuriato, qui præsumitur eam secreto retenturus. Farinac., qu. 105, n. 487, et conclus. 123, n. 5; Ursaya, *loco cit.*, n. 133, n. 38, vers. *Quinta ratio*, part. 5; Raynald., *loco cit.*, n. 24 et seq., et alii plures apud ipsos.

(15. Item non incidit in crimen et pœnam libelli famosi, qui provocatus, et lacessitus libello famoso, libellum in auctorem primi conficit, et crimina in ipsum retorquet, l. *Qui cum* § *Idem*, ff. *De bon. libert.*, ibi: « Et si ab eo petitus retorsit in eum crimina; ignoscendum est enim ei, qui voluit se ulcisci provocatus, » ibique Glossa, verb. *Retorsit*, ibi; *Ignoscendum ei, qui non facit*

sponte, et cap. *Ad limina* 30, qu. 1, ibi: « Inculpabile iudicandum est, quod necessitas intulit (12). »

(16. Hinc multi sancti Patres scriptis lacessiti cum mordacitate, et cum aliis injuriis pariter in scriptis responderunt, ut patet de S. Gregorio Nazianzeno « in ejus vita et oratione de episcopis; » de S. Hieronymo in Apologia contra Rufinum: de S. Bernardo lib. IV *De consideratione*: de S. Thoma in opuscul. 19; de S. Bonaventura in *Apologia contra Guilielmum de Sancto Amore*; et de aliis pluribus. Et sic tenent Ursaya, *loco cit.*, n. 111, cum aliis ibi citatis, Farinac., quæst. 104, num. 488; Raynald., *loco cit.*, a num. 29, cum pluribus ibi citatis.

(17. Libellos famosos facientes, publicantes, consulentes, seu mandantes fieri, seu publicari, et hujusmodi, committunt crimen gravissimum et detestabile, ut recte notant Farinac., qu., 105, n. 490; Raynald., *loco cit.*, n. 2, et alii communiter; et comprobatur ex constitutione S. Pii V incipient. *Romani Pontificis providentia*, in princip.

(18. Insuper rei hujus detestabilis criminis subjacent gravissimis pœnis; jure enim canonico sancitum est, quod tales rei anathematizentur, fustibus ac verberibus carpantur; cap. *Qui in alterius* 1, cap. *Quidam* 2, et cap. *Si qui inventi fuerint* 3, caus. 5, qu. 1; Farinac., qu. 105, n. 422, et sequent.; Panimoll. decis. 52, adnot. 1, n. 42; Ursaya, *loco cit.*, n. 108, et alii. Et secundum citat. constitutionem S. Pii V incipient. *Romani Pontificis providentia*, libellos famosos retinentes, facientes, dictantes etc., in Statu Ecclesiæ, gravissimis pœnis sunt puniendi, et honorum confiscatione, et aliquando etiam ultimo supplicio.

(19. De jure autem civili hujusmodi rei efficiuntur infames, et intestabiles, leg. *ob carmen*, ff. *De testibus* et l. *Lex Cornelia*, § *Si quis*, ubi Glossa verb. *Intestabilis*, ff. *De injuriis*, Ursaya, *loco cit.*, n. 107, et alii. Insuper aliquando fustigantur, aliquando ad tritremes transmittuntur, et aliquando ultimo supplicio condemnantur, l. unic. cod. *De*

(12) *Nota Romani theologi*. — Auctor, ut ego opinor, de foro externo, et criminali iudicio loquitur, quo spectant leges, quas citat, non vero de foro conscientie. Sed si de foro conscientie sermo sit, quis unquam probare poterit licitum esse homini Christiano libello famoso per libellum famosum respondere? Lex enim Christi diligere inimicos jubet, eisque benefacere; percutienti consulti alteram maxillam præbendam, et tollenti pallium dandam quoque tunicam esse. Item cum eadem Christi lex, tum etiam lex ipsa naturæ odio habere proximum vetat, iram compescere jubet, ac ea omnia prohibet, quæ homines ad iram et odium apta sint provocare. Age vero: fac hominem libello famoso lacessitum, libello alio famoso, ac recriminatione publica respondere, dum tamen id necessarium ita non sit ad propriam defensionem, ut alia via non suppetat, quis non videat, præceptum illud infringere, quo jubemur inimicos diligere, eisque benefacere, quo tenemur patienter injurias ferre ac injuriam irroganti parcere; quo denique odium proximi prohibetur, et ea omnia interdiciuntur, quæ ad iram, et odium proximi incitare possint, et debeant? Si res ita se habet, ut revera est; qua ratione probari po-

*famoso libello*; Panimoll., *loco cit.*, sub. n. 42, et alii apud ipsum Ursaya, *loco cit.*, num. 103, et sequent., ubi refert exemplum de quodam Cremonensi, qui ob malos versus, et similes cantilenas contra Clementem VIII prædefunctum, et nonnullos cardinales fuit decapitatus, et confiscatione honorum plæxus. Idem evenit abbati Francisco Dominico Rivarola, qui ob similes libellos contra Clementem XI, fuit capite punitus in Urbe die 4 Augusti 1709, nec non Cajetano Vulpino die 5 Februarii 1720.

(20. Eadem pœna puniuntur mandantes, cooperantes, et consulentes fieri libellos famosos; omnes enim isti concurrunt in genere causæ efficiendis, et dicuntur illos componere, et facere, l. *Lex Cornelia*, § *Si quis librum*, ff. *De injur.*; Gargiareus, *De libello famoso*, c. 9, n. 3 et 18; Farinac., qu. 105, n. 442 et seqq.; Ursaya, *loco cit.*, n. 125; Raynald., *loco cit.*, § 4 et 6; n. 50, et alii plures apud ipsos.

(21. Eadem pœna puniuntur invenientes libellum famosum, et illum non lacerantes, nec comburentes, sed aliis manifestantes; l. unic. cod. *De famos. libell.* ibi: « Si vero non statim eandem chartulas, vel corruperit, vel igne consumpserit, sed vim earum manifestaverit, sciat, se quasi auctorem hujusmodi delicti, capitali sententiæ subjugandum; » et late Farinac., quæst. 105, n. 450 et sequent.; Raynald., *loco cit.*, § 2, n. 5 et sequent., ubi tres rationes assignat. 1º Quia retinens libellum famosum præsumitur illius auctor. 2º Quia videtur habere animum manifestandi. 3º Quia dat occasionem, ut libellus ab aliis possit inveniri et videri.

(22. Eadem pœna puniuntur dictantes, scribentes et exemplantes libellum famosum, l. *Lex Cornelia*, § *Si quis librum*, in verb. *Scripterit*, ff. *De injuriis*, l. *Item apud Labeonem*, § *Hæc in verbo scribit*, ff. eodem, et expresse cavetur in cit. constitut. S. Pii V incipient. *Romani Pontificis Providentia*, Panimoll., decis. 52, adnot. 1, n. 17; Farinac., quæst. 104, n. 446; Bursat., consil. 20, n. 55, et communis aliorum.

terit usus libelli famosi in homine Christiano, qui per libellum antea lacessitus fuerit? Atque hinc liquet, quam inepte, ad suam comprobendam assertionem, attulerit Lucius sanctos Ecclesiæ Patres, qui non libellis, neque injuriis usi sunt in refutandis adversariis; sed veritatis studio ac virtutis amore, fervore quodam incitati adversus hæreticos, vel novatores, aut scandalosos homines, objurgationes, ac tales phrases adhibere, quæ vel detestandos errores, vel noxias novitates, vel improbatos ac perniciosos mores, aut obstinatam perversorum hominum malitiam exprimerent ac veluti horrendam Christianæ plebi prædicarent. At ita scribere non est injuriis respondere, nulla enim injuria fit homini perverso, dum publici ipsius errores, ac perversi, et humano generi noxii mores objurgantur ac maledictis etiam palam reprehenduntur. Si vero quisquam Patrum injuriis in adversarium responderit, secus ac patientia et charitas Christiana postulat, a culpa in illa actione liberari non potest; sed prædicanda potius erit pœnitentia eximia, qua culpam illam expiavit, et pœnitentes imitandi erunt, non vero irati, ac injuriis proximum afficientes.

(23. Eadem pœna puniuntur componentes carmina, cautiones, et similia in detractio- nem famæ alicujus, l. *Lex Cornelia*, § final. et ibi *Glossa* in verbo *Epicheia*, et in verbo *Sive scripturam*, ff. *De injuriis*: Farinac., quæst. 103, n. 467 et seq., cum multis aliis a se citatis, Panimoll., decis. 12, adnot. 1, n. 30, et alii passim. (24. Item eadem pœna puniuntur eas cantiones cantantes, textu expresso in l. *Item apud Labeonem* § *Hæc autem*, ibi: *Vel cantant aliquid, quod pudorem alicujus lædat*, ff. *De injuriis*: Farinac., loc. cit., n. 468; Panimoll., loc. cit., n. 31, et alii.

(25. Eadem pœna puniuntur facientes libellum famosum contra mortuum, quia non est minor injuria, quæ infertur mortuo, quam vivo, l. 1, ff. *De his quæ ut indignis*: Ursaya, loc. c., n. 138, *Muta ad Pragm.*, tit. 40, *De pœn eden. famos. libell.*, n. 37, et alii. Et patet exemplo adducto supra sub n. 18, de quodam Cremonensi, qui fuit decapitatus ob malos versus, et similes cantilenas confectas contra Clementem VIII prædefunctum.

(26. Eadem, et majori pœna puniuntur, qui libellum famosum faciunt, non sub nomine suo, sed sub nomine alterius; ipsi enim magis delinquere videntur, cum alium, ad se excusandum, de hujusmodi crimine falso inculpare intendunt: l. *Lex Cornelia*, § *Si quis librum*, ibi: « Etiam si alterius nomine » et ibi *Glossa*, ff. *De injuriis*: Farinac., q. 103, n. 472; Panimoll., loc. cit., n. 27, et alii communiter.

(27. Eadem pœna puniuntur, qui faciunt cadere in terram libellum famosum, ad effectum ut publicetur. Hoc enim idem est, ac si illum publicasset, sive illum confecerint ipsi, sive ab aliis acceperint; l. 1, cod. *De famos. libell.* ibi: *Sed vim earum manifestaverint*, et ibi *Glossa*, Farinac. quæst. 103, n. 458 et sequent., cum aliis ibi citatis Panimoll., l. c., n. 26, et alii passim.

(28. Eadem pœna puniri possunt bibliopœ, et mercatores librorum, ementes, retinentes et vendentes libellos famosos; sunt enim causa, ut ab aliis legantur. Gargiæus *De libello famoso*, cap. 8, n. 50; Coler., decis. 154, n. 8 et seq.; Ursaya loc. cit., n. 139, et alii passim.

(29. Ex dispositione cit. constitutionis S. Pii V incipient. *Romani Pontificis providentia*, et constitutionis Gregorii XIII, relatis a Navarr. in *Summ. Bullar.*, p. II, com. 83, n. 1, appellatione libelli famosi continentur pariter, nedum, ut vulgo dicitur *li avvisi secreti*, ut plurimum continentes læsionem alterius famæ, in quibus constitutionibus contra illos conficientes imponitur pœna mortis; sed etiam pasquilli, vulgo *pasquinate*. Ursaya loc. cit., num. 147, cum aliis ibi adductis.

(30. Si famosus libellus respiciat statum alicujus religionis in communi, v. g. ordinis Prædicatorum, Minorum, Augustinensium, Carmelitarum, Societatis Jesu, et hujusmodi, ultra supradictas pœnas, auctor est ipso facto excommunicatus excommuni-

catione majori Papæ reservata, ut observat. Navarr. in *Summario Bullar.*, part. II, com. 83, n. 7; Ursaya, loc. cit., n. 143, ubi notat, quod in eadem excommunicationem non incurrit conficiens libellum famosum contra privatum religiosum, ejus personam tantum infamando, quia constitutiones Apostolicæ respiciunt favorem religionis in communi, non autem alicujus religiosi in particulari. Navarr. et Ursaya, l. c.; Medina, *De confess.*, l. I, c. 15, n. 35, et alii passim.

(31. Pœna libelli famosi habet locum etiam si quis in eo verum dixerit, l. II, cod. *De famoso libello*, ubi *Glossa* in verb. *Sane*, Oltrad., consil. 53, n. 2., vers. *Si per libellum*; Azor., in summ. *De famos. libell.*, n. 2, in fin.; Boss., t. *De injur.*, n. 4, post princip., vers. *Nec obstat*: Covarruv., *Variar. resol.* lib. I, c. 11, n. 6; circa med.; Panimoll., dec. 52, adnot. 2, n. 9, et alii adducti per Farinac. in *Praxi crimin.*, t. *De var. divers. crimin.*; qu. 101, n. 24 et 244, et aperte id disponitur in cit. constit. S. Pii V, incipient. *Romani Pontificis providentia*, et comprobatur Gauzzin. *De confiscat.* conclus. 13, ampliatur. 91, n. 2 et 4, ubi testatur dispositionem dictæ constitutionis S. Pii V esse in viridi observantia, et diversis casibus occursis, ita fuisse decisum, prout etiam refert Farinac. consil. 30, n. 109, t. I, et ex ipso Panimoll., d. 52, adnot. 2., n. 11, adducens diversa exempla.

(32. Non desunt tamen doctores tenentes contrarium, scilicet pœnam libelli famosi non habere locum, quando sunt vera in libello expressa. Sic multi apud Farinac., l. c., q. 104, n. 242 et seq.; Raynald., l. c., n. 24 et seq.; Fabian. Centolin., in *Adnot. ad consil. crimin.*, 30; Farinac., litt. V., ver. *Contrarium videtur voluisse*.

(33. Qui detraxerunt aliis libello famoso continente vel falsum crimen, vel verum occultum, ad quid teneantur? Vide verb. *Detractio*, art. 2, per tot., ubi salva proportionem abunde dictum est de simili obligatione.

#### NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(34. Publicum judicium ex senatusconsulto redditum est ob libellum famosum; l. VI, ff. *De injur.*, cujus pœna capitis est l. unic. cod. *De famos. libell.*

(35. Non male vero nostri interpretes pœnam hanc capitis restrinxerunt ad famosum libellum, quo alicui obijciuntur gravia, et capitalia crimina ab eo, qui sævitie judicium, aut principis adreperere satagit. Absurdum namque foret ob quancunque contumeliam scripto factam imminere reo pœnam capitis. Confirmatur communis hæc sententia tum per verba mox cit. legis unice cod. *De famos. libell.*, tum per constitutiones, quæ sunt in codice Theodosiano sub eodem titulo. Potissimum vero vide 4, 5, 8 et 10.

(36. Puniunt imperatores Valentinianus et Valens eos quoque capite, qui libellum inventum non illico consumpserint, sed aliis sensum ejus manifestaverint. (37. Id sane

durum videtur. Sed restringenda verba ad eum sunt, qui contenta libello crimina effert dolo malo, ut periculum ex ea re capitis creet infamato.

(38. Quod qui fecit, cum eo non valde driter agatur, si ea pœna afficiatur ipse, cujus spectaculo in alterius cervicem crudelem animum satiare voluit. (39. Cæterum si quis non dolo id faciat, sed *vicio linguæ, atque impotentia*, dum cognita tacere nescit, durissimum foret pœnam capitis *garrulitati* statuere. (40. Injuria enim sine dolo, atque affectu injuriandi nequaquam committitur, garrulitas autem non dolo, sed culpa est.

(41. Restat ut disseramus de pœna ejus,

#### LIBERALITAS.

Vid. verb. *AVARITIA*, n. 12.

#### LIBRI.

#### SUMMARIUM.

1. Sub pœna excommunicationis late sententiæ tenetur quisque suscipere pro sacris, et canonicis omnibus libris Novi et Veteris Testamenti a concilio Trident., sess. IV, in Decreto de canonicis scripturis enumeratis. — 2. Libros de rebus sacris sine nomine auctoris nullus imprimere potest, nec illos vendere, vel apud se retinere, nisi prius sint examinati et approbati ab ordinario sub pœna excommunicationis, et pecuniaria apposita a concilio Lateranensi et Tridentino. — 3. Regulares, ultra examinationem et approbationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare tenentur. — 4. Et utramque concessionem debent imprimi facere ad principium operis. — 5. Libros scriptos communicans, vel vulgans ante examen et approbationem, subijcitur pœnis, quibus et impressores: et eos habentes, vel legentes, nisi prodant auctores, pro auctoribus habebuntur. — 6. Librorum approbatio danda est in scriptis et gratis, sicut et examen est gratis faciendum. — 7. Libri non sunt imprimendi sine nomine auctoris, vel certi collegii. — 8. Libri imprimi non possunt Romæ absque licentia cardinalis vicarii, et magistri Sacri

(1. Libros Novi, et Veteris Testamenti a concilio Trident., sess. IV, in decr. *De canon. Script.* enumeratos, qui integros cum omnibus suis partibus, prout consueverunt legi in Ecclesia catholica, et habentur in veteri vulgata Latina editione, non suscipit pro sacris et canonicis, est excommunicatus. Conc. Trid., l. c.

(2. Libros de rebus sacris sine nomine auctoris nullus imprimat, vel imprimere faciat, et illos non vendat, vel apud se retineat, nisi prius sint examinati, et approbati ab ordinario, sub pœna excommunicationis et pecuniæ apposita in canone concilii Lateranensis, sess. X, *De impressione librorum*, sub Leone X. Sic expresse concil. Trident. Decret. cit. sess. IV, in Decr. *De editione et usu sacrorum librorum*.

(3. Regulares, ultra examinationem, et approbationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare tenentur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Concil. Trident. loc. c. et sic habetur etiam in instructione Clemen-

qui non appetierit famoso libello vitam, et salutem alterius, sed famam tantummodo, atque existimationem. Nihil autem nominatum scriptum est, nisi quod damnatus ob carmen famosum fiat intestabilis; l. V, § *Si quis librum*, ff. *De injur.*, l. II, ff. *De testib.* Sed cum jurisconsultus dicat in d. l. V, si condemnatus sit, qui id fecit intestabilem ex lege esse juberi, satis indicat aliam fuisse pœnam, quæ sententia judicis infligeretur. Quæ cum prodita non sit, dicamus puniendum reum extra ordinem arbitrio judicis. Hæc de pœna famosi libelli de jure civili. Quod autem innovatum sit summorum Pontificum constitutionibus, indicat Auctor.

Palatii. — 9. Alibi vero imprimi non possunt absque licentia ordinarii et inquisitoris. — 10. Librarii, seu impressores imprimentes absque his licentiis incurrunt excommunicationem et pœnam amissionis librorum et centum ducatorum. — 11. Libri auctorum degentium in statu Ecclesiæ imprimi non possunt extra statum sine licentia card. vicar. et magistri Sacri Palatii (et extra), sine licentia Inquisitorum; aliter impressi ipso facto sint prohibiti, et alia pœna ab imprimente incurruntur. — 12. Libri de miraculis, gratis, beneficiis et aliis, quæ dicuntur accepta ope alicujus defuncti cum opinione sanetitatis, a Sede Apostolica non canonizati, nec beatificati, imprimi non possunt sine licentia Sedis Apostolicæ. — 13. Impressores et bibliopœ habentes libros lutheranos, aut aliorum hæreticorum, aut de hæresi suspectos, quas pœnas incurrant, nisi eos consignent inquisitoribus. — 14. Libri sine nomine typographi, vel loci impressionis, vendi non possunt sub pœna confiscationis librorum. — 15. Libros furto extrahere, seu subtrahere ex bibliothecis regularium est prohibitum sub pœna excommunicationis late sententiæ Papæ reservatæ. — 16. Referuntur ad hoc summarie variæ constitutiones Pontificæ, usque ad n. 33.

tis VIII, auctoritate regulis indicis adjecta § 2, *De impressione librorum*. (4. Ubi additur, quod « utramque concessionem, quæ appareat, ad principium operis imprimi faciant. »

(5. Libros scriptos communicans, vel vulgans ante examen et approbationem, subijcitur pœnis quibus et impressores. Et eos habentes, vel legentes, nisi prodant auctores, pro auctoribus habebuntur. Sic expresse conc. Trid., loc. cit.

(6. Librorum approbatio danda est in scriptis; atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi authentice appareat, idque totum, hoc est, et probatio, et examen, gratis fiat; sic expresse concil. Trid., loc. c.

(7. Libri non sunt imprimendi sine nomine auctoris, vel certi Collegii. Concil. Trid., loc. cit., et cit. Instruction. Clementis VIII, *De impressione librorum* § 1, ubi sic expresse habetur, ibi: « Nullus liber in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, et patriam præferat aucto-

